

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv

**Bernhold, Johann Balthasar
Schifflin, Johann Sigismund**

Altorfii, [1730]

§XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)

ingenium ; rumpit certe is, quantum in se est, uinculum ueritatis & charitatis. quo coetus inuicem connexus est, qui cum uera Ecclesia, cuius membrum uult haberi, abhorret in unum sentire & loqui, cum ipsa, Spiritus S. per uerbum efficacis lumine coluistrata, apte non minus ac uere sensum loquendique formas expresserit, eo modo, quem statui, in quo est, conuenientem prudentissime iudicauerit ; & nesciret, qui cum Enthusiasticis ac similibus, solis Scripturae uerbis utendum statueret, discrimen inter Theologiam biblicam pressius dictam, atque inter hermeneuticam sacram, quae uerba Scripturae aliis sane uerbis, praecuntibus Christo et Apostolis in N. T. explanat, atque edisserit. vid. IOH. HORNBECK, Summa Controuersiarum lib. VI.

§. XIII.

Indirectum argumentum sic formamus : Scripturae Sa- ^{Indirecte.}
erae sententiam, etsi in se satis perspicuam et claram, multi, uel mediis interpretandi destituti non assequuntur ; uel struuntur diuinis ueritatibus clandestinae insidiae, & publicae lites. Quae tenebrae ut dispellantur, quae offendicula ut remoueantur, opus est ex accidenti fidei formulis, quibus uera sistatur, diducatur, determinetur ac uindicetur Scripturae sententia. Experiencia praeterea condocet, homines non perinde ad normam Scripturae S. doctrinam suam componere, ac quidem gloriantur se Scripturam pro norma recipere ; uerba Scripturae multi, sententiam pauci recipiunt, et licet ad ea prouocent, nihilominus parum conuenienter Scripturam applicant. Adornari itaque oportuit formulas fidei, quo et uera assereretur sententia, et peruersae docentium ^{reperitur} detegerentur et refellerentur. Infirmorum ergo intellectus ope formularum fidei de diuinis ueritatibus ampliori & solidiori scientia erudiendus, certior reddendus, & aduersus haereticorum ^{sp. Ph.} muniendus est ne unio animorum confusionis, discordiae, & dissolutionis
peri-

periculum subeat. Scripturae sensibus hinc illinc diffitis, uerbisque amplis et laxis, lasciuie nouaturientes homines et irreligiosos nouarum sententiarum et uocum aucupatores facile posse abuti, quaeuis, ne prima quidem excepta, testatur Ecclesiae periodus; cui malo ut obex ponatur, remediumque quaeratur, e re Ecclesiae est, ut formula fidei, sententias Scripturae sparsas, in unam summam plene et perspicue colligat, laxiores eiusdem phrasas apte & uere determinet. [B. DORSCHER *uerba anneximus ex citatione B. WERNSDORFFII l. c. p. 498. Et si symbolorum uerba non clariora sunt uerbo DEI, sunt tamen corruptelis auertendis et euertendis propius accommodata.*]

§. XIV.

Speciali.

Generalium pro formularum fidei Iustitia in sensu permissiuo e singularissima Christianae Ecclesiae constitutione adductorum argumentorum agmen claudant specialia e Scripturae S. dictis hausta. Compendio cum studeamus, nonnulla tantum in medium afferamus. In formulis fidei tres potissimum partes considerandae ueniunt. Primo enim sunt uerae Ecclesiae publicae fidei confessiones; dein e Scriptura S. uera religionis dogmata plene, compendiarie tamen, perspicue & apte explicantur in iis & extruuntur; denique in exemplum & regulam doctrinae proponuntur & unionis ergo iniunguntur. Publicas uerae doctrinae

imo.

posse existere confessiones probatur ex 1. Petri III. 15. ἑτοιμοὶ θεοῦ ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαὶ παντὶ τῷ αἰτῶντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος, μετὰ πραύτητος καὶ φόβου συνείδησιν ἔχοντες ὀραομένην. E quo Petri loco argumentum pro iustitia formularum fidei necimus a minus ad magis concludens, a specie ad genus: A confessione nimirum fidei cuiuslibet priuato iniuncta, ad Iustitiam confessionis fidei a toto coetu edendam; a confessione spei uitae aeternae, ad confessionem reliquorum dogmatum ad aeternam salutem spectantium. Nihil uel obscuritatis uel difficultatis